



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Fratribvs Monasterii Oniensis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

tenione sua excludere nitebatur. Verùm iudices attendentes confirmationem huiusmodi non valere, cum præbendam illam Præpositus possidere non posset, & procedentes in nostri executione mandati, in corporalem possessionem præbendæ ipsum inducere caraverunt. propter quod pars adversa vocem ad nos appellationis iteratò emisit, quam, sicut & primam, persequi non curavit. Cùmque occasione illius possessionem ipsius Canonici per annum & amplius multipliciter perturbasset, idem ad Abbatem sancti Nicasij Remensis & coniudices suos nostras litteras impetravit. Qui ex Capituli relatione comperto quòd sibi periculosum existeret in Ecclesia residere, ipsi fecerunt securitatem præstari firmatam præstito juramento. Qua recepta, cum crederet se securum, Præpositus & complices ejus in fratrem ipsius in Ecclesia coram altari astantem in die cenæ Domini manus sacrilegas injecerunt, & tumultu exorto, auxilio Canonicorum & Presbyterorum astantium vix manus ipsorum effugere potuerunt. Ceterùm cum coram dicto Abbate sancti Nicasij suisque collegis super hoc persequeretur jus suum, idem Præpositus ad Abbatem de Bergis & coniudices suos, nulla de ipso vel negotio memorato habita mentione, nostras litteras impetravit. Quos idem Canonicus habens certa ratione suspectos, utpote quorum unus Præposito erat affinis, & alter in eadem causâ ipsius extirerat advocatus, eumque ad loca suspecta vocantes frequenter, præcipitabant sententiam excommunicationis in eum per contumaciam non absentem, & prædictum Præpositum à præfatis iudicibus excommunicatum pro eo iustitia exigente absolverant, licet standi mandatis eorum cautionem juratoriam præstitisset, & nolebant supersedere negotio ad mandatum ipsorum, cum super hoc nullam jurisdictionem habebant, ad nostram duxit audientiam appellandum. Quocirca discretioni vestræ per apostolica scripta præcipiendo mandamus quatinus si est ita, revocato in irritum quicquid occasione litterarum illarum, quæ per veritatem tacitam fuerant impetratæ, ab eisdem iudicibus in ejus præjudicium inveneritis attentatum, memoratum Canonicum faciatis ejusdem præbendæ auctoritate nostra pacifica possessione gaudere, ac de damnis & injuriis irrogatis eidem satisfactionem debitam exhiberi, tam præfatum Præpositum quam contradictores quoslibet per censuram ecclesiasticam sublato appella-

Tom. II.

tionis obstaculo compescentes. Non obstantibus aliquibus litteris quæ de his omnibus non faciunt mentionem, & in quibus non contineatur insertum quòd de nostra certa scientia emanarint. Testes autem &c. Quòd si non omnes &c. tu frater Episcopo &c. Datum Laterani viii. Kal. Maij, anno tertio decimo.

FRATRIBVS MONASTERII
Omensis.

His nos convenit robar apostolicum impertiri quæ semel in contentionem dedacta, iudicio sunt vel concordia terminata, ne sopitæ querimonie reviviscant, & relabantur iterum in recidivæ serupulum quæstionis. Sanè cum olim inter Ecclesiam vestram & bonæ memoriæ Victorem Burgensem Episcopum super tertiis decimarum quæstio suborta fuisset, tandem inter eos huiusmodi compositio intercessit, quòd videlicet memoratus Episcopus de suorum Canonicorum assensu concessit & confirmavit Iohanni tunc Oniensi Abbati ejusque catholicis successoribus in perpetuum tertiis decimarum in omnibus Ecclesiis suis quas idem Abbas eo tempore possidebat, necnon decimas quas usque tunc in villis de Arenis, Sant. Tamaio, Terminon, Ventretea, Solas, & Pelluegas recipere consueverat Episcopus memoratus. Præfatus verò Abbas, cum Capituli sui consensu, prænominato Episcopo & successoribus ejus villam Ribillam cum omnibus pertinentiis suis concessit perpetuò possidendam. Cùm autem nuper venerabilis frater noster Gar. Burgensis Episcopus & Lupus procurator vester, inter alias quæstiones utrinque propositas coram nobis, cœpissent super præfatis decimarum tertiis litigare, tandem compositionem præfatam memoratus Episcopus recognovit, eandem se velle servare proponens. Nos igitur vestris precibus inclinati, compositionem jam dictam, sicut piè ac providè facta est & ab utraque parte sponte recepta, ad exemplar bonæ memoriæ Alexandri Papæ prædecessoris nostri auctoritate apostolica confirmamus & præsentis scripti patrocinio communitus. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ confirmationis &c. Si quis autem &c. usque incursum. Datum Laterani Nonis Maij, pontificatus nostri anno tertio decimo.

Epist. 69.
Confirmatur concordia facta inter Episcopum Burgensem & monasterium Onientis.
Vide supra epist. 58. 59. & infra epist. 70.



Kkk ij